

posit. fid. n. 2. pag. 565. in bellis civilibus hoc observari ferunt: quoniam & armorum habitus par, & sonus vocis idem, & mos unus est atque eadem instituta bellandi: ne qua doli subreptio fiat, symbola discreta unusquisq; dux suis militibus tradit, ut si forte occurrerit quis de quo dubitetur, interrogatus Symbolum prodat si sit hostis an socius.

XL I. Ita ergo consensus in Symbolis, nihil aliud est quam consensus in ipsa fidei confessione. Nam licet supra de fraudibus nonnullorum hæreticorum conquesti simus, quod sub œcumenicis symbolis & ipsi latere velint; unde confictis æquivocationibus novas suas opiniones ad eadem Symbola referre satagunt; juxta illud *Irenæi ὁμοια λαλῶντες εὐνόμοια δὲ φρονηῶντες*: Attamen ea falsitatis & præstigiæ natura est, ut sese instar soricis prodant: nec unquam hæresis ita occultari potuit, ut à diligentioribus non fuerit deprehensa, quomodo à simplicitate Catechetica & confessione fidei discedat.

XLII. De nostris Confessoribus sanctè testari possumus, germanâ fide ipsos & candore egisse, atque ab omni fraude, occultatione & dolo fuisse quam alienissimos. Secuti nimirum monitum *Hieronimi ad Pammachium: Do consilium ut apertè aut fidem Ecclesiæ prædices, aut loquaris ut credis*. Et res ipsa loquitur, scopum eorum unicè ad id directum fuisse, ut candidè suam de religione sententiam proponerent, & ab omnibus aliter sentientibus sese separarent, id quod antitheses annexæ cum primis probant. Samosatensium Sophisticam, de qua *Eusebius*, Arianorum strophas, de quibus *Epiphanius*, Origenistarum glaucomata, de quibus *Hieronymus*, Pelagianorum fraudes, de quibus *Augustinus*, Nestorianorum latebras, de quibus *Celestinus* conqueruntur, ad orcum cum piis nostris præcessoribus damnamus.

XLIII. Symbola Ecclesia complura habet, ceu & Nestorio in Ephesino, & Eutycheti in Chalcedonensi cum primis opposita, suam laudem merentur. Tria tamen sunt præcipua

pua